ſunt extra cauſalitatem, non imprimuntur effecto. Ita conſequens eſt: Deus eſt bonus. E. omnes ipſius actiones & opera ſunt bona. Sed non procedit: Deus eſt æternus, immutabilis, omnipotens. E. omnia ipſius opera ſunt talia.

IV. *Ex qualitate actionis non ſemper concluditur qualitas operis.* Nam v. g. decreta Dei ſunt ipſe Deus: at non res decretæ ſunt ipſe Deus. Sic creatio eſt infinita, ſed non creatura.

CAPUT VI.

De decretis Dei in genere.

I. A *Decretis humanis ad decreta divina non procedit argumentum.* Illa ſiquidem coniuncta ſunt cum ratiocinatione: hæc non item. Superſedeo recitare alias differentias.

II. *Ab ideis Platonicis non licet argumentari ad ideas divinas.* Hæ ſiquidem ſunt imitabilitates eſſentiæ divinæ, quas Deus ab æterno apud ſe concepit, & apud ſe ſtatuit, illas in tempore exprimere modo optimo. At ideæ Platonicæ ſunt meræ imaginationes.

III. *Ex varietate decretorum Dei, quæ eſt à poſteriori, h. e. ratione obiectorum, malè colligitur*